

## **Quibus de causis bellum inter Ottocarum et Rudolphum regem exortum sit.**

Scripto

**Carolus Menzel,**  
e sup. ord. magist.

Tribus de causis fieri potuit, ut fines regni Bohemiae medio saeculo tertio decimo in regionibus Germaniae meridianis propagarentur atque opes ejusdem regni eximie augerentur: primum quod circiter idem tempus in Friderico Bellico stirps virilis Babenbergica in Austria extincta neque ab imperatore successor est constitutus; deinde quod reges Romani illius aetatis nec satis potentiae nec auctoritatis possidebant; tum quod illo tempore in regno Bohemiae duo sibi successerunt reges, quorum uterque magno ingenio et eximia facultate et tempora et conditiones finitimarum terrarum ad propagationem finium et ad opes augendas adhibendi praeditus erat.

Jam ante necem Friderici Bellicosi, ducis Austriae, Stiriae, domini Carniolae, Marchiae, Portus Naonis, Wenceslaum illorum Bohemiae regum priorem consilium habuisse earum terrarum post ducis illius interitum regno suo adjungendarum, satis ea appareat re, quod omni virium contentione enitebatur, ut conjungeret matrimonio Wladislau filium natu majorem cum Gertrude, Henrici Crudelis, fratris Friderici Bellicosi filia<sup>1)</sup>). Nam quum Fridericus non haberet liberos, verisimile est, Wenceslaum sperasse, fore, ut illa Gertrudis in Friderici locum succederet in illis terris quasi in allodiis, id quod fieri posse videbatur, perturbatis imperii rebus, bello in Italia flagrante. Itaque cogitationes semper ad filium Gertrudi despondendum intendebat, ita, ut illis sponsalibus faciendis ipsam possessionem partis Austriae a Danubio in septentriones spectantis, quam partem anno 1237 pacto adeptus erat<sup>2)</sup>), posthaberet<sup>3)</sup>; atque Innocentius IV. papa Wenceslai et Wladislai precibus et consiliis annuit injustis, ut, ubicunque occasio oblata esset, imperatori Friderico noceret, permisitque Wladislawo licentiam (affinitatis enim vinculis inter se con-

<sup>1)</sup> Anno 1237 primum Wladislawo Gertrudis desponsa est: chronic. Claustroneburg. ap. Rauch, script. rer. Austriac. I, 83; Pernoldus apud Hanthaler II, 1317; deinde iterum anno 1242: continuat. Cosmae ad a. 1242 ap. Pelzel et Dobrowsky, script. rer. Bohem. I; cf. etiam chronic. Anonym. Leob. ad a. 1238 ap. Pez, script. rer. Austriac. I.

<sup>2)</sup> Chronic. Claustroneburg. ap. Rauch I, 83; Pernold. ap. Hanthaler II, 1317; cf. etiam chronic. Anonym. Leob. ad a. 1238 ap. Pez I.

<sup>3)</sup> Cf. F. Palacky, Geschichte von Böhmen, 2, 1, p. 128, not. 190.

est<sup>1</sup>). Praeterea praematura morte anno 1250 ante diem quartum Non. Octobr. absemptus est<sup>2</sup>); quo anno Id. Decembr. quum imperator Fridericus II. et ipse Firenzuolae mortuus esset<sup>3</sup>) nec Conradus filius aut in Germania aut in Italia auctoritatem teneret, etiam Meinhardus, comes Goritiæ, ex Stiria domum rediit<sup>4</sup>). Et Wilhelmo quoque, comite Hollandiae, qui ab iis, qui cum papa stabant, anno 1247 ante diem quintum Non. Octobr. apud Nussiam rex Romanorum electus erat<sup>5</sup>), non satis auctoritatis consecuto, nemo erat vir, qui ducatum in Austria obtineret eamque terram contra externos et internos hostes defenderet<sup>6</sup>). Australes igitur omnino ad suum arbitrium vivebant.

Interea Wenceslaus cogitationes iterum in res Austriacas conferens illud tam vetus consilium illarum terrarum ad regnum suum adjungendarum, temporibus faventibus, renovavit. Qua re, ne quis alius princeps, Hermanno mortuo, in Austria firmiter consistaret, non solum je objecit Belae, regi Ungariae, Austriam depopulanti<sup>7</sup>), sed etiam Ottomem, ducem Bavariae, cupidum, imperatore defuncto, Austriae occupandæ et per Ludovicum filium »civitatem Lintz et civitatem Anesum cum magna parte ducatus Austriae<sup>8</sup>) obtinenter anno 1251 ineunte bello persecutus, Cal. Maj. ut pacem faceret, coegit<sup>9</sup>). Cui Wenceslai incepto dubitari non potest, quin multi Austriae principes faverint<sup>10</sup>).

Quibus de causis pro certo habendum est, principes Austriacos circiter medium annum 1251 apud Trübensee ducis eligendi causa convenientes, quod facere iis non licebat, nuntios Pragam ad Wenceslaum regem misisse, qui cum eo de Ottocaro eligendo agerent<sup>11</sup>), quae res eodem anno ante diem undecimum Cal. Decembr. ad finem perducta esse videtur<sup>12</sup>). Quo facto, Ottocarus statim in Austria profectus ante diem quintum Id. Decembr. Viennam intravit<sup>13</sup>), atque amicorum auxilio, donis, pollicendo, comitate efficit, ut paullo post omnes civitates plurimique principes se subjicerent<sup>14</sup>). Et, quo firmius sibi redderet imperium, ita ut a Gertrudis jure hereditario, quod

<sup>1)</sup> Pernold. ad a. 1249: »Qui receptus ab aliquibus, a plurimis vero agnitus non fuit.« Chronic. Claustro-neob. ad a. 1249: »Hermannus marchio de Baden voluit esse dux Austriae, sed non valuit,« Pez I.

<sup>2)</sup> Hermann abb. Alt. annal. ap. Oefele, script. rer. Boic., t. I, p. 674.

<sup>3)</sup> Cf. Kopp, Gejsh. d. eidgenössischen Bünde, B. 1, p. 5, II. 5 u. 6, II. 7.

<sup>4)</sup> »Meinhardus comes audiens imperatoris transitum ad propria rediit.« Chron. Anonym. Leob. ad a. 1251 ap. Pez, I.

<sup>5)</sup> Cf. Böhmer, regest. p. 3.

<sup>6)</sup> Chronic. Salisb. ad a. 1250, chron. Mellicens. ad eundem a. ap. Pez, I, Hermann. abb. Alt. annal. ad a. 1250 ap. Oefele I, testantur, et Belam, regem Ungariae, et Ottomem, ducem Bavariae, eodem tempore de-vastasse Austriaem.

<sup>7)</sup> Cf. Palacky, Gejsh. v. Böhmen 2, 1, p. 137.

<sup>8)</sup> Auct. inc. chronic. Bavaric. ad a. 1250: Pez II; cf. etiam chronic. Salisb. ad a. 1251: Pez I; Hermann. abb. Alt. annal. ad a. 1250: Oefele I.

<sup>9)</sup> Cf. cont. Cosmae p. 379 et 380: cf. etiam chronic. Boh. ap. Ludewig, reliq. manusc., t. XI, p. 394.

<sup>10)</sup> Cf. Palacky, Gejsh. v. Böhmen 2, 1, p. 139.

<sup>11)</sup> Omitto illam fabellam, quam Horneckius, Reimhron. XIV. seq. et Pernoldus ad a. 1251 reliquaque libri chronic, qui illos secuti sunt, narrant; quam fabellam And. Rauch, österr. Gejshichte III, 84 seq., deinde Kurz, Österreih unter Ottosar und Albert I, 10, Palacky, Gejsh. Böhmen 2, 1, p. 140 sq., Kopp, Gejsh. d. eidgen. Bünde I, p. 137, jam impugnaverunt.

<sup>12)</sup> Cf. cont. Cosmae, p. 381.

<sup>13)</sup> Palacky, Gejsh. B. 2, 1, p. 142.

<sup>14)</sup> Anonym. Leob. chronic. ad a. 1251: Pez, I; Pernoldus ad a. 1251; cf. etiam cont. Cosmae p. 381.

se habere ea putabat, esset tutus<sup>1)</sup>), anno 1252 ante diem sextum Id. April. in matrimonium duxit Margaretham illam<sup>2)</sup>), cuius conjugii Innocentius IV. ante diem tertium Non. Jul. anni 1253 propter consanguinitatem licentiam iis dedit<sup>3)</sup>). — Bela vero rex cupiditate Austriae occupandae ardens et a Gertrude incitatus Ottocaro bellum intulit; et quia rex Ungariae etiam Stiriam appetebat<sup>4)</sup>), quam quum ab anno 1192 imperio ducum Austriae subjecta esset, Ottocarus efflagitavit, bellum propter illas terras cum Ungariae regibus susceptum usque ad illud tempus, quo Rudolfus rex eas eripuit Ottocaro, duravit. Et quum Ulricus, dux Carinthiae, anno 1260 pridie Non. Decbr. diplomate sanxisset, ut Ottocarus sibi succederet<sup>5)</sup>), id quod constituere Ulrico non licebat, Ottocarus, illo ante diem sextum Cal. Novbr. anni 1269 mortuo, eam quoque terram occupans maximam partem Germaniae meridianae possidebat. At per injuriam occupaverat omnes illas terras. Nam Austriae ordines sive ab Ottocaro corrupti erant pecunia, sive sua sponte con venerant, non habebant jus ducis creandi. Praeterea nec Margaretha, soror Friderici Bellicos, quam Ottocarus in matrimonium duxerat, habebat possidendarum illarum terrarum potestatem, nec Gertrudis, quam antea matrimonio papa junxerat cum marchione Badensi, quoniam filios tantum ducis vel comitis heredes fuisse notum est terrarum quae velut fiduciariae datae erant. Unus potestatem habebat Austriae Otto, dux Bavariae, quum ab imperatore Friderico constitutus esset procurator, sed et ipse, imperatore mortuo, Austriam occupare voluit. Carinthiam quoque Ottocarus injuria possidebat, nam quum Ulricus, dux Carinthiae, liberis non relictis, mortuus esset, illa terra in imperatoris manus veniret necesse erat.

Etsi dicendum est, multus alios principes illius aetatis idem fecisse, quod Ottocarum, quum pro suis quisque viribus quam plurimas potuit rapinas faceret, nullus tamen tot tantasque arripiuit terras, ita ut esset praevidendum, Ottocarum omnes illas terras in ditionem suam redigentem eo causam praebiturum esse belli, si quando rex fortis et strenuus Germaniae imperium adeptus esset. Neque enim ullus Germaniae rex fortiter clavum imperii tenens, permittere potuit, ut vasalli tot tantasque terras possidentes potestatem regiam invalidam redderent. Qua re non est mirum, si jam eo tempore, quo Rudolfus rex creatus est, inimicitiae inter eum et Bohemiae regem incepérunt.

## II.

Principes electores Alfonsi Castellae et Richardi Carnubiae, quorum regum ille omnino non in Germaniam venit, hic quater in Rheni regionibus aderat, infirmitatem, inertiam, ex ea exortum imperii statum miserabilem perspicientes, Richardo etiam vivente, alium regem Romanorum

<sup>1)</sup> Anno 1250 metu Ungarorum Missiam se contulerat; sed anno 1251, Hermanno mortuo, in Austriam reversa est, sperans filium suum ducem creatum iri. Ottocaro creato »illa ad Belam confugiens, jus, quod se habere putabat, in illum transtulit, novarum nuptiarum referens promissum:« Pernold. ad a. 1251.

<sup>2)</sup> »Diu obstitit quidem, sed tandem precibus Provincialium cedens, initio Febr. consensit; nuptiae in Heimburch ante diem sextum Id. April. celebratae sunt. Tunc Margaretha protulit aureas Bullas Friderici primi etc., et jus suum Ottocaro secum commune fecit coram Provincialibus:« Pernold. ad a. 1252.

<sup>3)</sup> Dipl. Innocentii ante diem tertium Non. Jul. anni 1253 dat.: Palacky, ital. Reise, p. 34.

<sup>4)</sup> Stirientes anno 1251 nuntium ad Ottomem, ducem Bavariae, miserant, qui ab eo Henricum filium ducem Stiriae peteret. »Sed quia Bela, Ungariae rex, has provincias vehementissime cupiebat pro filio: non ausus est Henricus Barvarus, licet Belae gener, sine ejus consilio occupare, nec valuit:« Pernold ad a. 1251.

<sup>5)</sup> Cf. Palacky, G. v. Böhmen, 2, 1, p. 203.

Rinveldiam, Basiliam, Brisacum iter faciens<sup>1)</sup> ad principes electores Francofurtum venit. Qui postquam ibi principibus electoribus id quod impensa ab iis factum esset in creationem suam se praestitum promisit<sup>2)</sup> neque »imperialia bona sine consilio principum prorsus alienaturum«<sup>3)</sup> et imperium restituturum<sup>4)</sup>, se Francofurto Moguntiam, omnibus principibus electoribus eum comitantibus, contulit, ubi insignia imperii ei tradita sunt<sup>5)</sup>. Quibus acceptis, viginti millibus hominum eum comitantibus, Aquisgranum processit, ubi et ei et Gertrudi uxori ab Engelberto, archiepiscopo Coloniensi, anno 1273 ante diem nonum Cal. Novbr. solemniter insigne regium impositum est<sup>6)</sup>. Quo facto Rudolphus rex principes statim in verba sua jusjurandum adegit. Ibidem Ludovico, comiti Palatino, Mechtildem, filiam natu maximam, et Agnem Alberto, duci Saxoniae, idem in matrimonium dedit solemniaque nuptiarum celebrata sunt<sup>7)</sup>. Quibus rebus omnibus peractis Rudolphus rex per regnum procedens ab omnibus principibus rex appellatus est, excepto Ottocaro, rege Bohemiae<sup>8)</sup>.

### III.

Ottocarus enim jam priusquam Rudolphus diadema accepit, ad papam provocaverat explicans imperio fore magno damno, quod Rudolphus, »comes minus idoneus« rex creatus esset et papam exorans, ne permitteret, ut in jure suo interpellaretur<sup>9)</sup>, »quod prefati principes — principes enim electores dicit — manifestis deprimere injuriis conarentur, fortasse sperans, papam, quem regem Romanorum potentem creatum voluisse sciebat, iis admonitionibus impulsum Rudolphum regem rejecturum ac sibi ipsi potentiori fauturum.

Quae Ottocari contentio Rudolfi opprimendi quum non praeteriisset principes, Rudolphus, postquam Engelbertus, archiepiscopus Coloniensis, papae regem »virum providum et discretum, consilio et serenitate pollentem, morum probitate conspicuum et fidelem« descripsit<sup>10)</sup>, creatione Gregorio litteris indicata<sup>11)</sup>, ante diem quintum Id. Apriles Ottoni, cancellario suo cum Friderico, burggravio Nurenbergensi, et Godofredo, comite Setinensi, Lugdunum<sup>12)</sup> ad papam iter facere jussso mandavit, ut Gregorio omnia jura, dona, possessiones sedis apostolicae a superioribus regibus et ea quidem ab Ottone IV. et Friderico II. data nomine regis jurejurando firmaret atque omnia a Rudolfo rege factum iri, quae papae viderentur, nisi quid detrimenti caperet imperium, promitteret<sup>13)</sup>. Qui Rudolfi procuratores a Gregorio »quum patrum concilii clamoribus urgeretur, ut lacerato consuleret imperio«, adeundi potestate facta, principibus ecclesiasticis electoribus aliis-

<sup>1)</sup> Chronic. Colmar. p. 39, 50.

<sup>2)</sup> Dipl. Francof. anno 1273 Non. Octbr. dt.: Günther, cod. dipl. Rheno-Mosellanus II, 381; Böhmer, regest. 2, p. 58; dipl. Francof. anno 1273 ante diem oct. Id. Octbr. dat.: Würdtwein, Nova Subs. dipl. IV. p. 45 sq.

<sup>3)</sup> Cf. Lambacher, öft. Unterregnum, Anhang LVII.

<sup>4)</sup> Cf. Kopp I, 23 sq.

<sup>5)</sup> Chronic. Colmar. 40, 14.

<sup>6)</sup> Böhmer, regest., p. 58.

<sup>7)</sup> Henric. Praep. Oett. ad a. 1273, apud Oefele I; Henricus Stero, Mon. Alt. ap. Freher I, 388.

<sup>8)</sup> Cf. Kopp I, p. 29—67.

<sup>9)</sup> Epist. Ottocari ad Gregorium X.: Dolliner, cod. epist. VII.

<sup>10)</sup> Epist. Engelberti: Bodmann, cod. epist. Rud. V. Kopp I, p. 79, not. 4 dubitat, num ea epist. Engelb. sit.

<sup>11)</sup> Epist. Rudolfi ad Greg. X. p.: Gerbert, cod. epist. I; cf. Böhmer, regest., 1.

<sup>12)</sup> Anno 1274 Non. Maj. concilium Lugdunense incepit: Böhmer, Päpste, 207.

<sup>13)</sup> Dipl. anno 1274 ante diem quintum Id. Apriles dat.: Lünig XIX, 171.

que Germaniae principibus convocatis, perfectisque privilegiis ab Ottone IV. et Friderico II. sedi apostolicae datis, eadem tentum iri privilegia juraverunt; iidem sanxerunt nomine Rudolphi regis, quod anno 1220 ante diem nonum Cal. Maj. Francofurti principes constituerant<sup>1)</sup>, ne quando Siciliae regnum cum imperio conjungeretur.

Quibus rebus peractis Gregorius papa Brunonem Olomucensem et Bernhardum Secoviensem episcopos, qui concilio Lugdunensi intererant, ante finitum concilium ad Ottocarum regem misit, qui eum adducerent, ut in ea lite, quam intendisset Rudolfo regi, se suasque terras omnino judicio sedis apostolicae subjiceret; idem litteris docuit, imperio, quod tam diu sine capite fuisse, esse cavendum atque eum adhortatus est, ut ad conditiones, quas ii episcopi proposituri essent, accederet<sup>2)</sup>.

Quibus litteris quum cognovisset Ottocarus, Gregorio papae curae esse, ut terrae sanctae auxilium ferretur eaque cura imprimis eum impelli, ut imperio provideret, promisit, se post quadriennium »in propria persona cum exercitu suo secundum terrarum distantiam et secundum exigentiam expensarum et bonorum mobilium vel immobilium facultatem in omnibus terris suis«<sup>3)</sup> terrae sanctae subsidium laturum.

Gregorius perspiciens, regem Bohemiae moram interponere, laudavit quidem ejus consilium<sup>4)</sup>, sed non cunctatus est Rudolphum publice appellare regem<sup>5)</sup> atque Ottocarum iterum cohortari, ut Rudolfo regi reconciliaretur<sup>6)</sup>.

Quae dum apud Gregorium aguntur, discordiae inter Ottocarum et Rudolphum regem principesque Germaniae augebantur. Principes enim ecclesiastici in Bavaria, Austria, Stiria, Carinthia possessiones habentes, Rudolphi partibus se adjungebant; quorum imprimis Fridericus, archieписcopus Salisburgensis, Leo Ratisponensis, Petrus Pataviensis episcopi pridie Non. Aug. anno 1274, a concilio Lugdunensi reversi, se in fidem et clientelam Rudolphi contulerunt, quibus omnibus Rudolphus privilegia et possessiones, quas in Austria, Stiria, Carinthia, Bavaria habebant, confirmavit ac promisit, se ea, quae iis detracta essent, recepturum; idem edicto sanxit, ne quis eos vexaret neve possessiones eorum vastaret<sup>7)</sup>. Praeterea multi alii principes illarum terrarum cum Rudolfo rege stabant<sup>8)</sup>; e quibus infestissimo erat animo in Ottocarum Philippus, patriarcha Aquilejensis, Ulrici, ducis Carinthiae, mortui frater, quum ab Ulrico heres institutus, postea opera Ottocari hereditate exturbatus esset; qui jam tunc temporis »cum baronibus Stiriae domino de Wildonia et domino de Lansse et aliis« Rudolphum adiisse atque eum induxisse fertur, »ut descenderet, et ducatum Austriae ac Carinthiae de dominio regis auferret Bohemiae«<sup>9)</sup>.

Interea Ottocarus Henricum, ducem Bavariae, anno 1273 paullo post Rudolphum creatum<sup>10)</sup>

<sup>1)</sup> Raynald XIV., ad a. 1274, 5—12. De privilegiis a Rudolfo rege sedi apostolicae datis et confirmatis cf. privilegium pro curia Romana ap. Bodmann, cod. epist. 78; Pertz monum. hist. Germ. IV., 394, sq.

<sup>2)</sup> Greg. epist. ap. Boczek, cod. Morav. 4, 129, sq.

<sup>3)</sup> Cf. Brunonis epist. ad Gregorium X. Pragae anno 1274, ante diem quartum Id. Jul. dat. ap. Boczek 4, 130, sq.

<sup>4)</sup> Cf. epist. Gregorii X. ap. Palacky, ital. Reise, p. 43.

<sup>5)</sup> Dipl. Gregorii Lugduni anno 1274 ante diem sextum Cal. Oct. dat.: Raynald, 55.

<sup>6)</sup> Dipl. Gregorii apud Raynald, 57.

<sup>7)</sup> Diplomata Rudolphi Hagenawe pridie Non. August anno 1274 dat.: Monumenta Boica 29b, 509, 510.

<sup>8)</sup> Quod demonstratur epistolis archiepiscopi Salisburgensis infra citatis.

<sup>9)</sup> Chronic. Anonym. Leob. ad a. 1273, Pez I, 839 B.

<sup>10)</sup> Chronic. Henrici. Praep. Oett. ad. a. 1273 apud Oefele I, creatione Rudolphi commemorata, dicit: „eodem anno Ottocarus et Henricus, dux Bavariae ad plenam concordiam redierunt.“ Palacky G. B. 2, 1, p. 228 illam

et pecunia data<sup>1)</sup>) et eo, quod »castro Scherding et quibus dam juribus, quae pertinebant ad ducem<sup>2)</sup>« ei cesserat, sibi foedere adjunxerat<sup>3)</sup>, ac magna manu quum Austriam intrasset, castella Rudolphi studiosorum expugnans »obsides terrarum Austriae, Stiriae, Carinthiae, Carniolae a ministerialibus et civitatibus exegit<sup>4)</sup>). Idem Milotam quandam praefecit Stiriae, qui Frisach oppidum omnino subvertit incendio, et viros mulieres, senes juvenes occidit<sup>5)</sup>. Tali modo adversariis terrore percussis, Ottocarus civitati Salisburgensi arma intentavit. Fridericus autem, archiepiscopus Salisburgensis, qui tunc temporis cum Leone Ratisponensi, Petro Pataviensi, Brunone Brixinensi, Wernhardo Secoviensi, Johanne Chiemensi episcopis concilium Salisburgense celebravit<sup>6)</sup>, cum illis episcopis constituit, Ottocaro, si quem invaderet, sacrificiis interdicere<sup>7)</sup>, ac rogavit Rudolphum regem, ut auxilium ferret<sup>8)</sup>.

Jam res eo deducta erat, quum Rudolphus rex anno 1274 ante diem tertium Id. Novbr. concilium principum ad Noribergam habuit. Qui quum jam tum timuisset, ne rex Bohemiae et Henricus dux Bavariae impetum in se facerent, duo millia quingentos pedites adduxerat<sup>9)</sup>. Ibi Rudolphus rex cum principibus praeter alia constituit, ut ii vasalli, qui a tempore, quo diadema accepisset, intra annum feudorum confirmationem non petiissent, ea amitterent; ad hoc decreverunt, ut Ludovicus, comes Palatinus, regem Bohemiae, qui confirmationem non petiisset, in jus vocaret Heripolim, quam in urbem principes ante diem decimum Cal. Jan. anni 1275 conventuri essent<sup>10)</sup>.

Ottocarus vero Fridericum, archiepiscopum Salisburgensem, aggredi non dubitaverat, eumque ita urgebat, ut is »post injurias gravissimas, post damna gravissima« Ottocarum adiret, sed quum eo esset animo, ut extremam mallet pati fortunam, quam »devotionem debitam« Rudolphi et imperio Romano laedere<sup>11)</sup>, nihil profecit. Ottocarus igitur pergebat Austriam, Stiriam, Carinthiam subigere, partesque Rudolphi supprimere. Rudolphus autem, iterum atque iterum ab archiepiscopo Salisburgensi rogatus, ut auxilium ferret<sup>12)</sup>, quamvis doleret tyrannica crudelitate regis Bohemiae et cives Salisburgenses impelleret, ut ei omni ratione resisterent<sup>13)</sup> Gregorio papae

---

concordiae reconciliationem ineunte anno 1273 effectam esse narrat. Quod si ita sese haberet, certum est, futurum fuisse, ut Rudolphus Henrici suffragio non ornaretur.

<sup>1)</sup> Cf. Dolliner, cod. epist. p. 95, et ch. Volemari ap. Oefele, II, p. 531.

<sup>2)</sup> Henrici praepositi Oett. chronic. ad a. 1273; Hermannus abb. Alt. ap. Oefele I, ad a. 1273.

<sup>3)</sup> Cf. Dolliner, cod. epist. p. 45.

<sup>4)</sup> Lambacher, österr. Interregnum, p. 136, not. a.

<sup>5)</sup> Cf. Bodmann, cod. epist. p. 15; Anonym. Leob chronic. Pez I, p. 842 et chronic. aur. ad a. 1274, Hormayr, Arđiv, 1827.

<sup>6)</sup> Concilium Salisburgense finitum est anno 1274 pridie Cal. Novbr.: Mansi sac. concil. nova Collect. XXIV, p. 135, not. I.

<sup>7)</sup> Cf. Mansi, sac. concil. nova Collect. XXIV, p. 143, tit. 22.

<sup>8)</sup> „Ceterum magnificentiae vestrae exponere cogimus lacrimose vel querulose, quod rex Bohemiae victis aliis quasi omnibus sibi adversantibus, solum nobis et ecclesiae nostrae exterminium in proximo comminatur; super quibus serenitatis vestrae gratiam et juvamen nostris anxietatibus et tribulationibus petimus impertiri“ etc. Bodmann, cod. epist. ep. 14, p. 14.

<sup>9)</sup> Chronic. Sampet. Erfurtense ad a. 1274, ap. Menken, script. rer. Germ. t. III.

<sup>10)</sup> Pertz, monum. hist. Germ. IV, 394; Böhmer, regest. 132.

<sup>11)</sup> Bodmann, cod. epist., ep. 16.

<sup>12)</sup> Cf. Bodmann, cod. epist., ep. 14, 15, 16.

<sup>13)</sup> Cf. dipl. Rudolphi, Noribergae, ante diem nonum Cal. Dcbr. 1272 dat.: Böhmer, regest., 136; dipl. Rudolphi, Noribergae, ante diem octavum Cal. Dcbr. 1274 dat.: Böhmer, regest., 139.

ad pacem et concordiam adhortanti<sup>1)</sup> obediens, in primisque discordiis, quae inter Henricum et Ludovicum, duces Bavariae, exortae erant impeditus, copias auxilio mittere noluit.

Qua re fieri potuit, ut Ottocarus non solum Austriam, Stiriam, Carinthiam iterum sibi subjeceret, sed etiam cum Alfonso denuo<sup>2)</sup> imperium petenti conjunctus, Rudolphum, quem Gregorius Cal. Decbr. anni 1274 invitaverat, ut nuntios in Italiam mitteret, quibuscum ageret de insignibus imperatoris accipiendis<sup>3)</sup>, prohibere studeret, in Italiam proficisci<sup>4)</sup>. Praeterea neque is, quamquam vocatus erat, neque Henricus, dux Bavariae, ad concilium principum aderat, quod ad Heribopolim anno 1275 ante diem decimum Cal. Febr. factum est<sup>5)</sup>. »Sententialiter igitur a principibus curia Augustae celebranda« indicta est<sup>6)</sup>. Ottocarus enim etiam tum sperasse videtur, Gregoriam papam ad se perductum iri. Namque anno 1275 ante diem septimum Id. Mart. ei iterum promptissimum praestitit animum subsidii ferendi terrae sanctae, dumne in se interim impetus fieret et exposuit, quae Rudolphus, incitatus a Ludovico, comite Palatino, Friderico, burggratio Nurenbergensi, compluribus aliis, in concilio principum apud Noribergam habitu, Brunone, episcopo Olomucensi, legato suo, neglecto, contra se decrevisset<sup>7)</sup>. Sed quum Gregorius Ottocaro ante diem sextum Non. Maj. ejusdem anni idem scripsisset<sup>8)</sup>, quod satis saepe admonuerat, is a papa ad concilium futurum provocavit<sup>9)</sup> ac societatem Gregorio renuntiavit.

Eodem tempore inimicitiae inter regem Bohemiae et Rudolphum augebantur. Iterum enim Ottocarus in concilium principum Augustam Vind. convocatum<sup>10)</sup> non venit, sed Wernhardum, episcopum Secoviensem, Henricum, praepositum Werdensem, Wolfgangum Nurenbergensem, magistrum ptochotrophii S. Johannis<sup>11)</sup>, nuntios misit, qui et auctoritatem creationis Rudolphi et jus suffragii ducum Bavariae rursus impugnarent; quibus nuntiis oblocutus est Henricus, praepositus Oettingensis, quem Henricus, dux Bavariae, ad id principum concilium procuratorem misserat<sup>12)</sup>. Sic orta est inter nuntios regis Bohemiae et procuratorem Henrici, ducis Bavariae, disputatio »super quasi possessionem juris eligendi Romanum regem.« Et procurator Henrici et Ludovicus, comes Palatinus, demonstraverunt, illud jus ducibus Bavariae »ratione ducatus competere ex antiquo«, ac Ludovicus dissernit, a se et Henrico fratre Richardum, quum rex creatus esset, suffragio »legaliter« adjutum esse, et in Rudolphi creatione postquam procuratores Henrici

<sup>1)</sup> — — „sed. sic ad pacis foedera inter te ac regem ipsum, apud quem etiam super hoc non omisimus hactenus, nec omittere intendimus debite persuasionis officium“ etc.: Gregorii epist. ad Ottokar. Id. Dcbr. anno 1274 dat.: Boczek IV, 136.

<sup>2)</sup> Recusaverat enim paullo ante imperium Alfonsus voluntati Gregorii obsecutus: cf. Raynald. ad a. 1273, 54.

<sup>3)</sup> Cf. Dipl. Rudolphi Noribergae anno 1274 ante diem sextum decimum Cal. Jan. dat.: Böhmer, regest. 194.

<sup>4)</sup> Dipl. Gregorii Lugduni Id. Dcbr. anno 1274 ad Ottocarum dat.: Boczek IV, 136 — — „et specialiter nullam in Italiam mittendo militiam; nec gentem aliquam, nec alias cum Italicis contra eum te in obligationes seu confoederationes alias involvendo, quod procul dubio sedes cadem equanimeter ferre non posset.“

<sup>5)</sup> Böhmer, regest. p. 68.

<sup>6)</sup> Cf. chron. Osterhov. ap. Rauch, script. rer. Aust. I, 515.

<sup>7)</sup> Cf. epist. Ottocari ad Greg. X. anno 1275 ante diem. sept. Id. Mart. dat. ap. Boczek, cod. Morav. IV, 142 sq.

<sup>8)</sup> Cf. Greg. epist. ante diem sextum Non. Maj. anno 1275 dat.: Boczek IV, 151 sq.

<sup>9)</sup> Ab eo id esse factum, cognosci potest ex epistola, quam Gregorius anno 1275 ante diem undecimum Cal. August. ad Ottocarum dedit: Boczek IV, 157.

<sup>10)</sup> Idibus Maj. principes Augustam convenerunt.

<sup>11)</sup> Dipl. Rudolphi Augustae Id. Maj. 1275 dat. illos tres nuntios rg. Boh. commemorat.

<sup>12)</sup> Cf. chronic. Henrici praep. Oett. ad a. 1275, ap. Oefele I.

suffragium ad se detulissent, suum et Henrici suffragium pro uno »ratione ducatus in septem principum jus in electione regis Romani habentium numero« esse computatum. Quibus auditis Rudolphus rex in eodem concilio, omnibus principibus consentientibus, constituit, ut suffragia Henrici et Ludovici, ducum Bavariae, pro uno computanda essent<sup>1)</sup>). Quo facto Wernherus, episcopus Secoviensis, in medium protulit, Rudolphum, quoniam ei, compluribus aedibus sacris expilatis, sacrificiis interdictum esset<sup>2)</sup>), inhabilem esse ad dignitatem regiam<sup>3)</sup>). Quod quum principes audivissent, tumultus est factus, et Ludovicus, comes Palatinus, ita ira incensus est, ut illi manus admovisset, nisi, quominus id fieret, Rudolphus rex prohibuisset, qui tam liberaliter Ottocari nuntios habebat, ut iis usque ad fines regni Bohemiae, ut tibi essent, milites adderet comites<sup>4)</sup>). Ottocarus vero, quum nec prius nec tunc in concilium principum venisset, communis consensu eorum est proscriptus<sup>5)</sup>). Ad quem quum intra annum se regi non purgasset, Rudolphus rex anno 1276 mense Julio Fridericum burggravium Nurenbergensem, Viennam misit, qui, nomine regis, Austriam, Stiriam, Carinthiam, Carniolam reposceret ac denunciaret, eum »propter contemptum et contumaciam« regno quoque Bohemiae et marchionatu Moraviae privatum esse<sup>6)</sup>). Cui mandatum perficieni Ottocarus, »cui audaciam dabat invicta soror fortunae Bellona, et felix bellorum successus, confidens potentiae suae, affectansque semper bellare et proeliari«<sup>7)</sup>), respondit, se Austriam et Stiriam matrimonio cum Margaretha, filia Leopoldi, ducis Austriae, contracto adeptum esse, Carinthiam hereditario jure possidere; quum suum et suorum sanguinem pro iis terris profudisset contra Ungaros pugnans, nunquam se iis renunciaturum<sup>8)</sup>). Praeterea se admodum mirari, quod »proceres regni, omissis potentioribus, tam exilem comitem ad regni fastigium« perduxissent<sup>9)</sup>). Quibus auditis Rudolphus rex ei bellum inferre constituit.

<sup>1)</sup> Cf. dipl. Rudolphi Augustae Vind. Id. Maj. 1275 dat.: Tolner, cod. dipl. Palat. p. 75 et 76.

<sup>2)</sup> Innocentius IV. imperatori Friderico II. anno 1249 et Rudolphi, ejus studio sacrae sacrificii interdixerat: H. Steri ap. Freher I, 388. Deinde, quum Rudolphus anno 1254 Berchtoldo, episcopo Basiliensi bellum intulisset, Innocentius ante diem quintum decimum Cal. Sept. ejusdem anni ei iterum sacrificii interdixerat: Herrgott, Gen. II, 302. Utrum Rudolphus resacratus sit, necne, non liquet; attamen est conjiciendum, principes eum non creaturos fuisse, nisi resacratus esset.

<sup>3)</sup> Cf. Horneckii Reimdr. CXII; Mart. Poloni continuat. app. Eccard., corp. hist. t. I, p. 1425.

<sup>4)</sup> Cf. Horneckii Reimdr. ibid.

<sup>5)</sup> Anonym. Leob. ad a. 1275: Pez I.

<sup>6)</sup> Anonym. Leob. ad a. 1274.

<sup>7)</sup> Cont. Cosmae, p. 419.

<sup>8)</sup> Ibidem, p. 420; cf. etiam Horneckii Reimdr. CXIV.

<sup>9)</sup> Cf. chron. Leob. ad a. 1274.